

Andreas Daniel Habichhorst Hinricus Hierner

**Partis II. Illustriorum Isaiae Locorum Dissertatio Octava De Dimone Rivis
Moabitici Sanguinis Augendo, Et Leone Tam Evadentibus Extra Patriam, Quam
Residuis In Illa Moabitis Immittendo, Ex Isai. XV. 9. iuxta German. XVI. 9.**

Rostochii: Weplingius, 1697

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740908006>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 2.Okt. 1697

Habichhorst, Andr. Dan.

xx.
PARTIS II.
ILLUSTRIORUM JSALÆ LOCORUM
DISSERTATIO OCTAVA
DE

VIII
DIMONE

RIVIS MOABITICI SANGVINIS
AUGENDO,
ET

285
LEONE
TAM EVADENTIBUS EXTRA PA-
TRIAM, QVAM RESIDUIS IN ILLA MOABITIS
IMMITTENDO,

Ex JSAL. XV. 9. juxta German. XVI. 9.

Qvam
Auxiliante DEO Homine & R. FCte THEOL. consentiente,
PRÆSIDE

ANDR. DANIELE
HABICHHORSTIO,


S. Th. D. ejusdemq; PP. & Consiliario Duc.
Mekelb. Consistoriali, Collegiiq; Professorum Ducalium
ut & FCtis Theol. Seniore,

ad d. 2. O Hob. A. 1697. publ. ventilandam proponit

HINRICUS HIERNER, HOLS.
Rostochii Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr

PARTIS II
ILLUSTRATIONES LACERUM
DISECTATIO OCTAVA
DE
DIMONE
RIVIS MORBIFICI SANGVINIS
AUGENDO

LEONE
TAM EVANGELIUM EXTRA PA-
TRIA OMNIA...
A...
A...
A...



ANNO...
HANS...
HANS...
HANS...

De

Dimone rivis Moabitici sanguinis augendo

DISP.
VIII.

Leone tam evasoribus extra patriam, quàm residuis in
Patria Moabitis immittendo.



Qvod excidii Moabitici tum *Objectum*
tum *effectum* Propheta Jsaïas c. 15.
describat, & ad *objectum* illius ex-
cidii inter alia etiam *Civitates ex-*
scindendas, ut sunt *Choronajim*,
Cheschbon, *Eleale*, *Jachza* aliosq;
referat, superiori *Dissertatione* §. 2.
in *prolegomenis* fuit relatum. Cir-
ca illas verò *Civitates* quæstio re-

manfit, à residuo *Dissertationis* illius spatio exclusa, adeoq;
jam sub initium præsentis evolvenda. Nimirum non
immeritò quærebatur numero V. quomodo *Cheschbon* &
Choronajim aliæq; *Civitates* inter *Jordanem*, *Arnonem* & *Ja-*
bocum fluvios sitæ, & hîc apud *Jsaïam* c. 15. v. 4. & 5. ut &
apud *Jerem.* c. 48. 32. nominatæ, ad *Moabiticam* referri
terram excidiumq; illis in hoc *Massa Moab* denunciari
queat, cum illæ fuerint *Jfraëliticæ* Tribuque *Ruben* &
Gad à *Jhosua* assignatæ? *Jhos.* 13. 18. seqq. Ad hanc verò
quæstionem respondemus distinguendo tempora, sive di-
stinguendo cum *B. Varenio* in *Comment. Jsaï.* part. 2. h. l.
p. 74. inter *primam*, *secundam*, & *tertiam* *Moabitis Geogra-*
phiam. In *prima* & *tertia* hæ *Civitates* fuerunt *Moabi-*
ticæ, non in *secunda*: in hac enim transiverunt ad *Sicho-*
nem Emoræorum Regem & ab hoc ad *Jfraëlitas*, quod
paulo pluribus exponendum. Quod enim *Cheschbon*
aliæqve *Civitates* quæstionis in *prima* eademqve ante-
Jfraëlitica *Moabitis Geographia* fuerint *Moabiticæ*, id
fatis

V

fatis constat ex Num. 21. 26. Quod verò in media Geographia eadem primò ad Regem Emoræorum Sichonem transiverint, ibidem pariter recentetur: Qvicquid enim inter Arnonem & Jabocum laticesqve Jardanis jacebat, ipsamqve adeo metropolin Regiam Cheschbonem, paulò ante adventum Jsraëlis terram Cenaarum ingressuri Rex Emoræus Sichon Moabitarum Regi prælio aufferbat; sed diu illas ipse non retinebat. Quod enim deinceps, & quidem paulò post victum Moabitam eadem interarmnes terræ ab illo Sichone rursus devicto ad Jsraelitas victores pervenerint, eodem cap. 21. Num. memoratur. Cum enim Edom & Moab Jsraelitis promissam gentium terram post quadraginta in deserto annos occupaturis, innoxios negarent transitus Jud. 11. 17. neq; ferro illos aperire propter interdicta Deut. 2. 4. 5. 6. 8. 9. 10. 17. 18. Num. 20. 14. seqq. liceret, propterea q; per Abarinajumenta & deserta Moabitidis ab oriente finitima circumire tenerent Jsraelitæ, tandem hi ipsi ad vada Arnonis & terminalem agrorum Moabiticorum vallem subsistentes, ad Regem Emoræum Sichonem pro transitu concedendo nuncios mittebant; Cū vero Sichon Emoræus transitū Jsraelitis prohibiturus, armatâ illis manu ad civitatem Jachza (cujus & Jsaias noster hîc cap. 16. v. 4. mentionem habet) occurreret, mox illi victores ex speciali supremæ Majestatis autoritate, vi armorum, terras has interarmnes, quondam Moabiticas, tunc verò non nisi Emoræas, à fluvio Arnone usq; ad Jabocum & usq; ad Ammonitas, & in illa metropolin sedemqve Sichonis regiam Cheschbonem cum filiabus occupabant vid. Num. 21. v. 13. 21. 23. 24. 25. 26. Deut. 2. 17. 24. Judic. 11. 20. seqq. quas deinde terras Jhosua Dux Jsraelitarum Tribubus Ruben & Dan assignavit Jhos. 17. 17. seqq. easdemqve

que iidem Israelitæ per tempora Judicium, præprimis Jiph-
 rachi (vid. Judic. II. 13. 25, 26. 33. ibique notetur jus belli
 à Jiphthacho contra Ammonitas pro terra hac suscepti) &
 per tempora Regum quorundam Jhudæ & Israel retinu-
 erunt. Siquidem & regnum Moab, debellatis sub Davi-
 de Moabitis, feudum Jhudæ factum est, 2. Sam. 8. 2. quan-
 quam deinceps factâ decem tribuum à Jhuda separatione,
 Moabitæ regno Itraëlis, propter continentiam terrarum
 suarum & regni Israelis, adhæserunt, cui & Rex Moabita-
 rum Mescha adhuc tempore Achabi Regis Israel tributum
 solvit 2. Reg. 3. 4. 27. qui tamen Achabo hoc defuncto de-
 fecit, ibid. v. 5. Unde mox bellum inter Jhoramum A-
 chabi filium (cui Rex Jhudæ Jhosaphat & Rex Edom sup-
 petias ferebant) & inter Moabitas ortum, horumque maxi-
 ma strages & calamitas subsequuta, ibid. v. 1. quorum oc-
 casione veterem Majestatis splendorem sectati Moabitæ,
 antiquos sibi terminos, quibus in prima Moabitidis Ge-
 ographia ante Sichonem Emoræum gaudebant, terras
 scilicet has interamnes, quarum metropolis Cheschbon,
 sibi vindicarunt, uti judicat *B. Varenus* l. c. p. 66. vel
 etiam tuuc, quando regnum Itraëlis tempore Chiskia pi-
 entissimi Regis Jhudæ, abductis à Schalmanassare Assyrio
 decem tribubus cum Rege Hosea, dissolutum est, 2. Reg.
 18. 9. 10. Moabitæ terras hasce urbesque quæstionis, olim
 suas suisque vicinas rursus occuparunt, uti censet *B. D.*
Seb: Smidius in Comment. Jer. ad c. 48. Atque ita rursus
 in tertia Moabitidis Geographia, interamnes hæ civitates,
 Cheschbon, Choronajim &c. ad Moabitas spectarunt.
 Unde est, quod illis etiam Civitatibus in Massa Moab tam
 Jsaiano quam Jeremiano, unâ cum Civitatibus cis Ar-
 nonem horribile excidium denunciatur.

§. 2. Haecenus de quaestione, quæ Dissertationis nuperæ spatio excludebatur & ad excidii Moabitici *objectum* spectat, quod inter alia sunt Civitates *Choronajim, Cheschbon &c.* Ad effectum verò excidii illius referri tum miserabilem *ejulatum* tum *fugam*, in prolegomenis præcedentæ Disputationis fuit annotatum. Quemadmodum verò superiori Disputatione *modum* ejulatus Moabitarum in excidio fugientium exposuimus, eumque boatui *juventa triennis* à fœtu fugatæ similem fuisse ostendimus: ita jam *rationem* quendam *ejulatus*, post alias versu 5. membri posterioris, item v. 6 & 7. designatas, ex seq. versu 9. eodemque capitis ultimo visuri sumus, quæ in eo consistit, quod *caedes Moabitarum* futura sit non tantum *horribilis*, ita ut Dimon rivis Moabitici sanguinis sit replendus atque ita *augendus*: sed & *universalis*, ita ut nullus *superstes* sit futurus, sed tam *evasoribus* s. profugis, quam *residuis Leo* sit *opponendus* sive immittendus, uti ex sequentibus Prophetæ verbis elucescit: **כִּי מֵוֹ דִּימֹן מְלֹא דָם כִּי אֲשִׁירָה עַל דִּימֹן נֹסְפוֹתָ לְפִלִּיטָה מֹאָב וְלִשְׂאוֹת אֲרָמוֹ:**
i.e. quia aqua Dimon repleta sunt sanguine, quia ponam super Dimon additamenta. *Evasoribus Moab Leo (erit) & residuis terra.* Ubi potissimum versio Lutheri sic habens: Dazu will ich über Dimon noch mehr Kömnen lassen/ beide über die erhalten sind in Moab des Löwen und über die übrigen im Lande / lectori scrupulum injicit, ut lectionis cursum sistat quæratque, quid per *Moab Leonis*, uti Lutherus reddit, & per *servatos in Moab Leonis* intelligantur, atque adeo quis verborum: **לְפִלִּיטָה מֹאָב אֲרָיָה** genuinus sit sensus? Utrum voces *Moab & Leo* stent in regimine, adeoque rectè reddantur: *Moab des Löwen*; an die *Löwen Moabs*/ juxtagloss. Germ. ? an vero aliâ constructione in fonte gau

gaudeant &c. Ut verò huic etiam loco paulò obscurior lucem quãdam fœneremur, utramq; ejus propositio nem tam de *Dimone*, quàm *Leone*, paulò distinctius confideraturi sumus. Et prioris quidem propositionis *subjectum* est *Dimon* s. aquæ *Dimonis*; *predicatum*: sanguine sunt replendæ. Cui propositioni subjungitur hæc ratio: *quia Deus super Dimon ponet additamenta*. Posterioris v. propositionis *subjectum* est *Leo*; *predicatum*: evasoribus Moab & residuis terræ sc. erit s. immitetur. Unde jam sequentes nobis quæstiones ad h.l. veniunt evolvendæ: (1) quis *Dimon*, de quo Propheta hîc prædicit, quod aquæ ejus sanguine sint replendæ? (2.) quid sibi verba velint, quæ propositioni de *Dimone* subjiciuntur, atqve adeo quid מוספת s. *additamenta super Dimon ponenda*, sibi velint, & utrum *additamenta* hæc præcedens de *Dimone*, an sequens versus membrum de *Leone* respiciant? (3) an posterioris membri vel propositionis verba מואב אררה cum B. Luthero reddi possint: *Moab Leonis sive Moab des Löwen* / adeoq; stent in regimine? an v. reddenda juxta gloss. fuerint: *Die Löwen Moabs*? an verò hîc alii prorsus constructioni & interpretationi juxta fontem sit locus? (4) quis per *Leonem* h.l. intelligatur? & (5) quid de illo hîc *Leone* prædicetur, atq; adeo quis verborum מואב אררה ולשאררה ארמה quæ de *Leone* hîc prædicantur, genuinus sit sensus? Quibus de sensu loci evolutis tandem quoq; usus annectetur.

§. 3. Ad quæstionem I. quis *Dimon*, cujus aquæ hîc dicuntur repletæ vel rivis Moabitici sanguinis augenda? quod attinet, *Sanctius* in *JSal.* h.l. p. 173 quia *Vulgatum* sequitur, qui cum *LXX.* locum ita vertit: *quia aquæ Dibon repletae sunt sanguine*, existimat *Dimon* fuisse civitatem aquis irriguam, aliàs *Dibonem* dictam, ceu *Jeremias*

c. 48. 18. indicat dicens: *Sede in siti habitatio filia Dibon, q. d. juxta Sanctium: arestes o civitas, licet aqua jugi luculenter affluens, quia non erit postea, qui ad agros & hortos illam derivet.* Similiter *Musculus* Comment. in Jsa. h. l. p. 157. *Dimon* inquit, non est fluvius, sed civitas Tribui Gad deputata. Eodem & *Lutherus* tendere videtur, dum ita reddit: *Die Wasser zu Dimon sind voll Bluts.* item *D. Seb. Smidius* Com. in Jsa. p. 153. ubi h. l. ita *De Pezari*: Nam magis affligam *Dimonem*, quam alia loca, ita ut nemo hic loci evadat. *Hieronymus* quoque ad h. l. dicit: *Unam hanc urbem vocari & Dimon & Dibon, idque non esse corrigendum, ne error admittatur, idemque vocem Dimon interpretatur silentium; Dibon v. fluidum.* Contra *Musculus* l. c. incertum esse ait, an una eademque sit civitas. Alius in *Anglic. Annotationibus* putat, *Dibonem*, cujus præcedente versu 2. ap. Jsa. fit mentio, hic v. 9. vocari *Dimonem*, mutatâ literâ b. in m. (uti in *Merodach* pro *Berodach* Jsa. 39. 1.) à copia sanguinis in eo fundendi. Ceterum non temerè talis literarum mutatio est statuenda. Neque sequitur: præcedente v. 2. apud Jsaïam & c. 48. 18. apud *Jeremiam*, (addo v. 22.) nominatur civitas *Dibon*: Ergo *Dimon* hic v. 9. mutatâ literâ est *Dibon*. Neque etiam *Sanctianaloci* *Jerem. 48. 18.* interpretatio: *Sede in siti Dibon q. d. arestes o Civitas, licet aqua jugi affluens, quadrat.* Nam *sedere in siti* rectius exponitur vel per *habitare* vel esse in deserto, ceu dicitur præced. v. 6. eritis ut myrica in deserto, q. d. eritis deserti & solitarii; vel per *sedere in captivitate*, ubi sitis, fames, omniumque bonorum defectus q. d. non tantum eris ignominiosa o *Dibon*, sed & rebus necessariis in excidio egebis, juxta *Vatablum* in notis ad *Bibl.* Contra *Calvinus* in *Comment. Isa. h. l. p. 137.* alique interpp. infra citandi statuunt, *Dimonem* esse fluvium s. rivum

vum celebrem & magnum. Nam verba Jsaïæ h. l. de Dimone aliter sonant ac verba Jeremiæ de Dibone: Hic enim de Dimone loquitur ut de fluvio, siquidem dicit: *aquæ Dimon replenda sunt sanguine, tcil. occiforum.*

§. 4. Sed quæritur jam ulterius, *quoniam hic fluvius per Dimonem indigitetur* & Resp. Plerorumque interpretum consensu, nempe *Junii, Grotii, Piscatoris & B. Varenii* in Comment. Jsa. part. 2. p. 79. Dimon est rivus in finibus Moab, ab Ebræo דִּמּוֹן h. e. *sanguis* sic dictus q. d. *sanguineus*, & quidem הַנְּהַר f. rivus ille, quem Propheta Eliæus, sanctiori Regis Jhosaphati *πρωτοπρωληψία* excirus, & per fidicinem, sanctum epos personantem, à perturbacionibus propter præsentiam idololatrici Regis Jhorami ad cælestes meditationes elevatus, aquâ olim miraculosè repleri curabat, pro reficiendis trium Regum castris, sc. Jhosaphati Jhudæ, Jhorami Israelis, & innominati Regis Edomi, qui contra Moabitarum Regem *Mescba* præced. §. 1. citatum, à Jhoramo Rege Israelis deficientem, exercitus ducebant, vid. 2. Reg. 3. qui rivus, quia aquæ ejus non tantum miraculosè מַרְרָךְ אֶדְוֹם h. e. *è via Edom in terram Moab veniebant*, prout disertè dicitur v. 20. h. e. ab illa parte, quàm terram *Edomi* i. e. *Rufi*itur: sed & ex colore orientis primum super aquas *Solis*, ad instar sanguinis *rubentes*, Moabitis in terminis regni stantibus primoq; manè surgentibus apparebant, ita ut hi *rubedinem* aquarum intuiti, mutuam inde Regum sibi adversantium cædem interpretarentur, statimque ad prædam conclamarent; quanquam mox apparentiâ se falsas esse experiebantur. Vid. l. c. v. 21. 22. 23. Imò quia & rivus hic sanguine Moabitarum à tribus his Regibus tunc cæforum verè visus est *rubere*, nomen is *Dimonis* i. e. *sanguinei* jure sibi suo

suo vendicat; ut adeo in vocibus Ebraëis *Dimon* & *Dam* i. e. sanguis, allusio videatur notanda, quasi diceret: Deus per *Jsaïam*; eundem rivum *Dimonem* denuo sanguine *Moabitaram* sum tincturus adeoque *Dimonem* i. e. rivum sanguineum (den *Blutstrom*) dehinc verum *Dimonem* sum facturus, *Ich will ihn zu einem rechten Blutstrom machen.*

§. 5. Proinde cum ex dictis jam innotescat, *quis Dimon* vel aquæ *Dimonis* sint, de quibus hîc *Propheta* dicit, quod sanguine sint replendæ, jam II. quæritur, quid sibi hæc verba velint, quæ propositioni de *Dimone* jam expositæ rationis loco subjiciuntur: *quia ponam super Dimon additamenta*, atque adeo quid per *ניספתי* s. *additamenta super Dimon ponenda* intelligatur, & utrum hæc additamenta præcedens versus membrum, an verò sequens respiciant? Sunt enim nonnulli, qui nonum hunc capituli versus ita secant, ut membrum prius ad *Sakephkatonum* in voce *ניספתי* e. *sanguine* distinguant & sistant, adeoque hæc *ניספתי* s. *additamenta* ad seqq. referent, & exemplum illorum additamentorum faciant *Leones*, in seqv. membro prædictos & tam evasoribus, quàm residuis immittendos. Quibus sanè *Lutherus* etiam noster favere videtur: *Denn die Wasser zu Dimon sind voll Bluts. Dazu will ich über Dimon noch mehr kommen lassen/ beyde über die erhalten sind in Moab des Löwen / und über die übrigen im Lande. Similiter B. D. Seb. Smid. Comment. in Jsaï. p. 153. additamenta hæc de additamentis malorum exponit, eademqve ad sequens membrum refert, ita scribens: Verba, ponam enim super Dimon additamenta, accipimus de additamentis malorum q. d. nam magis affligam Dimonem, quàm alia loca, ita ut nemo hîc loci evadat; sed si quis hostem evaserit,*
tamen

tamen occidatur à Leone b. e. novo malo opprimatur & pereat.
 Consentit Musculus Comment. in Jsai h. l. p. 157. dum ait:
 Sensus est, auctarii loco adjiciam hoc mali super Dimon, ut etiam,
 si qui gladium in hoc seviturum effugerint, incidant in Leones.
 Aliqui explicant de additamentis cadis & sanguinis &c. Hi
 respiciunt ad præcedens. Nos (pergit idem) quod de Leone
 sequitur, expositionem hujus habere judicamus, nempe iis, qui
 evaserint ex Moab & reliquis terra, Leones sc. addam. Ha-
 etenus ille. Quibuscum & Hieronymus facere depre-
 henditur, qui per *superaddenda* habitatoribus civitatis Di-
 boni (ceuloquitur) id intelligi putat, quod nullum Diboni-
 tis reliquum sit mortis effugium, sed quicunque studeant evola-
 re nova occurrant pericula & mortis occasio. Nec procul
 hinc abeunt alii, qui plagam intelligunt *super plagam* s. ex-
 tremam plagam, quæ dici potuit aliorum *plagarum addita-
 mentum*; quæ verò illa sit plaga, incertum esse dicunt.
 Imò & Sanctius Comment. in Jsai. h. l. p. 173. certè, inquit,
 ex scriptura nullum habemus, quod invenire potuerim, vel te-
 nue (sc. additamentorum) *vestigium*. Ceterum hi au-
 tores ex parte, in primis Hieronymus, supponunt *Dimo-
 nem* h. l. esse civitatem & quidem *Dibonem*, quod suprà
 ad præcedentem jam quæstionem est retutatum. Et
 si vel maximè per *Dimonem* Civitas intelligeretur, ta-
 men ista Hieronymi expositio non obtineret, quia non
 solis illa Dibonitis competeret, sed communis omnibus
 Moabitis esset; cum tamen Propheta hæc *additamenta*
Dimoni, h. e. juxta Hieronymum *Dibonitis*, tanquam
 propria minetur. De cetero obstat illis *accentus Ash-
 nach* in voce quæstionis אֲשַׁנַּח i. e. *additamenta*, qui
 membrum ibi primum terminat diserteque monet, ut
 X
 addi.

additamentorum hoc exemplum non in sequenti mem-
bro, nempe in Leone addendo, quærat. Consentit
B. Varenus, qui l. c. p. 79. fin. non probamus, inquit, qui
secant versus ita, ut distinguant membrum primum ad Sa-
kephkaton. Et sequentia faciant membrum secundum, Et ille
אריה s. Leo fit exemplum illarum נוספות i. e. addita-
mentorum. Obstat limes. Hactenus ille. Proinde &
nos versus hunc ita secamus, ut ad vocem נוספות i. e.
additamenta prius membrum distinguamus adeoque
additamenta non ad sequentia sive ad Leonem; sed ad
præcedens tanquam rationem præmissæ propositio-
nis, de aquis rivi jam dicti sanguine implendis, referamus.
Quibus jam probatis & præsupposito etiam supra, per
Dimonem non intelligi civitatem sed rivum, & quidem
illum, quem Propheta Elisæus, 2. Reg. 3. pro castris tri-
um Regum, contra Regem Moab pugnantium, refici-
endis miraculose aquâ, ex via Edom i. e. rubri veniente,
repleri curavit, quique non tantum apparenter ex colo-
re Solis manere orientis, sed ex Moabitarum quoque à Re-
gibus istis castrorum sanguine revera visus est rubere, non
obscurum manet, quænam hæc sint additamenta super
vel ad Dimonem ponenda. Scilicet quoniam his, quæ
in qua ratione sunt, verbis (quia ponam super Dimon addi-
tamenta) ratio præmissæ propositionis de aquis rivi Di-
monis sanguine replendis subjicitur, quod particula כי i. e.
quia arguit (quæ ordinariam significationem nempe
causalem quò minus hæc retineat, nihil obstat) & voca-
bulum נוספות (quod est scem. plur. Participii Niphal, à R.
אָס, addidit, auxit) per Neutrum addita, addenda, addita-
menta, augenda est exprimendum (siquidem apud Ebræos

Qs Neutrum per foemininum & nonnunquam per masculinum exprimi solet) hinc talis nascitur verborum quaestionis de add tamentis sensus sic satis commodus: Aquæ Dimonis rivi replendæ sunt sanguine: quia dicto illi rivo Dimoni, olim tum à Solis ortu tum à Moabitaram sanguine rabenti, novum jam omen novasque causas, cur merito fluvius hic nominetur Dimon h. e. sanguineus, supperaddam, & augebo sic Dimonem; vel: quia, qui Dimonem olim sanguine Moabitaram à Regibus Jhudæ, Israel & Edom caëtorum inficere cœpi, nunc eidem Dimoni plus addam, eundem sanguine Moabitaram in excidio instanti occidendorum tanquam novis canalibus augendo. Hæc igitur sunt illa *addimenta*.

§. 6. A *Dimone*, ex priori membro vel propositione loci hætenus spectato, progredimur ad *Leonem*, posteriori ejus membro occurrentem, circa quem adeo nunc III. quaeritur, *utrum hæc posterioris membri vel propositionis verba*: מוֹאב אֲרִיָּה, *reddi possint per: Moab des Löwen / adeoq. stent in regimine*; an verò ita: *die Löwen Moabs*? an denique aliã gaudeant constructione aliãq; interpretatione sint beanda? Lutherus certè noster prius quidem in versione German. admittit, ita reddens: *Dazu will ich über Dimon noch mehr kommen lassen. beide die erhalten sind in Moab des Löwen*; posteriori verò in glossa marginali Germanica legitur: *Die Löwen Moabs heißt er die großen. Hansen / will sagen / daß beide Herren und Unterthanen / so überbleiben / sollen noch mehr Unglück haben.* Ceterum fons Ebraeus ab utraqve sententia dissidere deprehenditur, ad quem ta-

men recurrere, Et iuxta illum de versionibus Et controversiis
 judicare, adeoque de fonte magis quam de rivulis scientia veri-
 tatem querere tenemur, uti hic Jus Canonicum in Decre-
 to laudabiliter contra ipsosmet Pontificios, versionem
 Vulgatam fonti Ebræo præferentes, ex Hieronymo do-
 cet c. *jejunium* 7. dist. 76. item ex Augustino (si Rubricæ
 fides habenda, rectius verò ex eodem Hieronymo, id
 quod recens emendator Gregorianus observat) c. *ut ve-*
terum. 6. dist. 9. Certè enim si priori interpretamento ver-
 sionis Germanicæ in Moab des Löwen / locus esset, tum
 (1.) מואב utpote juxta versionem vox constructa, non
 haberet Kamez sed Patach (2.) eadem accentu conjunctivo
 Munach signaretur & præf. ב. haberet (3.) Vox præcedens
 in statu absoluto fuisset formanda, & quidem ה. מ. לפליטה,
 אריה במואב Nunc verò omnia contrario se modo &
 quidem sic habent: אריה מואב לפליטה adeoque (1.) vox
 מואב habet Kamez, & (2.) per acc. distinctivum, Ducem
 Pascota, à seqv. voce אריה i. e. Leone distinguitur nec
 præfixū habet & præterea (3.) cum præcedente vocabulo
 ה. מ. לפליטה, e. evasore construitur, quod ejusdem vocabu-
 li tum status constructus tum accentus quoque conjun-
 ctivus Mapach commonstrant. Si verò posterior inter-
 pretatio glossæ (Die Löwen Moabs) obtineret, tunc sa-
 nè vox אריה h. e. Leo præponenda esset talisq; positus &
 accentuatio מואב אריה requireretur. Nunc verò con-
 trā vox אריה i. e. Leo postponitur & vox Moab præposita
 cum præcedente construitur & accentuatio longè ali-
 ter se habet: proinde & longè alia interpretatio vocum
 quæsti-

qvæstionis ex fonte est formanda, quam responsio ad qvæstionem jam succedentem declarabit.

§. 7. Qværitur enim IV. qvæd per *Leonem* h. l. intelligatur? Juxta glossam quidem Germanicam, ceu dictum, per Leonem denotantur *Magnates Moabitarum*, die Löwen Moabs / die großen Hansen / q. d. beide Herren und Unterthanen / so überbleiben / sollen noch mehr Unglück haben; at verò ex præcedente jam qvæstione innotuit, vocem *Leonis* Gentilitio nomini *Moab* postponi, neq; Leonem cum Moab construi, sed ab eodem potius distingui. Igitur per Leonem non Magnates Moabitarum, sed potius *supplicium* h. l. designari dicimus, qvòd non Magnatibus & subditis, sed *מאב לפליטה* h. e. *evasoribus* s. profugis Moabitarum simul *ארמית* i. e. *residuis in patria* Jsaias minatur; qvanqvam non negamus, etiam Magnates qvòsdam tam inter evasores s. profugos, qvàm inter residuos reperiri potuisse.

§. 8. Sed ulterius hic qværitur, *qualis Leo* hic *supplicii loco* evasoribus & residuis Moabitarum *immitendus* denunciatur? Nonnulli referente *Museulo* in Comment. Jsai. h. l. p. 257. & *B. Varenio* in Comment. Isa. part. 2. h. l. p. 79. per Leonem hunc intelligunt *Leonem*, *Metaphoricum*, nempe *Nebucadnezarem*, Babyloniorum, Regem, terram Moabitarum crudeliter devastaturum ut sensus sit: Non ero hac ultione contentus, sed ad dam adhuc alteram, effecturus, ut, qui manus Assyriorum evaserint, incidant in hostem longè sæviorem, nempe *Nebucadnezarem*, potentiâ & sævitiâ Leonem. Ut ut verò Scripturis non sit insolens neq; à communi Rhe-

Rhetorum. usu alienum, Reges terrarum, propter potentiam & hinc ortam sæpe crudelitatem & iniquitatem erga minus potentes, *Leoni* aliisque animalibus præstantioribus comparari: quomodo idem Nebucadnezar ap. Ezech. c. 17. 3. vocatur *Aquila*, & ap. Jerem. 4. 7. appellatur *Leo*, gentium prædo ab Aquilone adducendus: Si quidem & Regum insignia hinc Aquilarum atque Leonum imaginibus fulgere videmus. Quod verò hic minimè conveniat, per *Leonem* intelligi dictum jam Babyloniorum Regem, vel inde clarescit; quod Nebucadnezar non tantum evaluatoribus & residuis Moabi, uti h. l. prænunciatur, sed toti Moabitarum regno futurus esset *Leo*. Rectius ergo per *Leonem* intelliguntur collectivè *Leones*, uti Jerem. 5. 6. Et iterum per *Synecdochem* quælibet *fera & dentes ferarum*. Conf. *Glassii Phil.* S. l. 3. Tr. 1. can. 22. Qualem certè pœnam, nempe *feras & dentes ferarum*, differtè impiis minatur Deus per Mosen Lev. 26. 22 & Deut. 32. 24. Exemplum verò pœnæ illius inter alia exhibet historia, tum *Elisæi* Prophetæ, tum gentium ex Assyria in civitates Samariæ à Schalmanassare missorum: in illa enim *Ursorum* dentes dilaniasse pueros Prophetam convitantes; in hac verò *Leonum* dentes occidisse gentes Deum non timentes perhibentur, 2. Reg. 2. 24. & c. 17. 25.

§. 9. Quibus ita se habentibus, responsio ad quæstionem, quæ restat, V. *quid scilicet de Leone hic prædicatur, & quis adeo verborum horummet לפליטרה מואב אריה ולשמריה ארמה* (quæ h. l. de Leone prædicantur,) genuinus sit sensus? in proclivi erit. Ut verò evadat proclivior, notanda prius sequentia erunt, & quidem dem

dem(ו) פליטה i.e. *evafionem*, abstractū five substantivum,
 à Rad. פלט *evafit*, hic poni pro *evafore*, concreto, per E-
 braismum, de quo vid. *Glass. Phil. S.l. 3. Tr. 1. Can. 7 &*
præterea singulare pro plurali evaforibus Vid. *Glass. l.c.*
can. 22. i. e. illis qui fugerunt ab hoste extra terram Mo-
bitarum patriam, effugituri poenam excidii, sicut &
 ושאריו ארמו i. e. *residuus* terræ pro *residuis* ponitur, h. e.
 in terra illa Moabitarum patria superstitibus. (2.) *subin-*
telligi verbum substantivum erit, h. m. *evaforibus (erit) Leo,*
 vel *repeti* ex præcedente inciso membri prioris verbum
 פניתי i. e. *ponam* s. d. *sponam, opponam, immittam, Leonem.*
 Deniq; (3.) in posteriori posterioris membri inciso *repe-*
tendum esse nomen אריו sive *Leonis*, qualis repetitio in
 scripturis perquam est frequens, sicuti ad præced. locum
 JSal. 16. 5. pluribus id ostensum. His ita prænotatis,
 sensus verborum hic emergit satis commodus: *Evafori-*
bus (profugis extra patriam) *Moabitis* erit *Leo* (opponam
 s. immittam Leonum dentes) & (*Leo* erit, s. Leonem imo
 mittam) *residuis* terræ (in terra patria superstitibus) q. d.
 cædes in excidio hoc non tantum juxta prius versiculæ
 hujus membrum erit *horribilis*, ita ut aqua *Dimonis sangu-*
ine occisorum *Moabitarum* sint replenda, atque ita rivis
 quasi novis augendæ; rivusq; *Dimon* verè sanguineus
 sit futurus: Sed & juxta posterius membrum *univer-*
salis, ita ut nullus sive extra patriam *evaforit* h. e. fugã
 excidium effugerit sibi que salutem quærere voluerit, si-
 ve in terra patria *residuis* manserit, superstes sit futurus,
 sed tam *evafores* illos extra patriam, quam *residuis* in pa-
 tria *fera* sint dilaniaturæ.

§. 10. *Sensum* loci hæcenus indagatum excipit *usus*, qui gravissimæ DEI erga impios iræ argumentum nobis sistit, ut hinc non tantum *discamus*, quod impius, quando hostium manus evasit, in aliud non minus, imò & gravius discrimen incidat, unde liberari non possit. Eodem tendit Jeremias c. 48. 44. contra eosdem Moabitarum tale iudicium proponens: *Qui fugerit à facie pavoris, cadet in foveam, & qui ascenderit de medio foveæ, capietur à laqueo*, Conf. & Amos, 5. 19. Exemplum huius vindictæ olim quidem Paulus iudicabatur Act. 28. 3. quasi ex naufragio liberatus in bestiam planè venenatam incideret. Aiebant enim; *Ultio hunc vivere non sinit*; ast revera non erat; Sed & hinc *admoneamur*, ut, effugituri tam horribilem DEI vindictam verique *evasores* futuri, maturè seriòque pœnitentiam agamus, fideque indubitata divinx gratiæ in Christo committamus. Qui enim sub umbris illius gratiæ in perpetua vivunt pœnitentia & in fide persistunt indubitata, licet gravioribus nonnunquam periculis impetantur & subinde à superbis & sycophantis, Satanæ propugnatoribus, affligantur, imò & hostium laqueis tantum non obstruantur; illæsi tamen evadunt: ut scilicet appareat, illos *evasores* non humano quodam sed divino protegi præsidio; id quod exempla Josephi, Davidis, Danielis aliorumq; piorum in scripturis passim ostendunt, & experientia nonnunquam mirè commonstrat.

COROLLARIA RESPONDENTIS

De
ANGELIS
quorum festum his
diebus celebratur:

I.

Creationis Angelorum dies apodicticè sciri nequit, & frustra pro eo locus objicitur I Job 38. 47. ubi eras, cum me laudarent astra matutina & clangere omnes filii Dei &

2. Loco I Jobi citato per astra matutina angeli non corpora caelestia; neq; per filios Dei astra, sed Angeli spiritus utrobique intelliguntur.

3. Angelos malos à deo creatos esse probat Epist. Jud. v. 6

4. Posito sed minimè concessò, quod Dan 4. 14. per vigiles & sanctos (cum dicitur: in decretis vigilum verbum & in sermone sanctorum rogatio) non intelligantur tres S. Trin. persona, sed angeli spiritus, vel Deus cum angelis sententiam de pœnis Nebucadnezaris ferentes; non tamen inde sequitur, Deum communicato cum angelis consilio Gen. 1. 26. hominem produxisse.

5. Pro adoratione angelorum, in superstitioso Papatu prob! recepta, Pontificii Angelolatra frustra allegant locum I Job 33. 23. siquidem ipsi illum perperam de angelis spiritibus interpretantur; rectius verò contra Socios eundem de angelis Ecclesiasticis intelligit Bolducius Capucinus Parisinus; rectissimè verò nos de angelo increato, apud Deum advocato nostro, interpretamur.

Ad
Eximium planè Clarèq; doctum Dn. HIERNERUM,
Nuperrimè in Collegio Theol. disputatorio, super Form. Concor-
diæ & controversias Antilynetisticas, proximèq; in simili
Collegio super Confessionem Augustanam, Audito-
rem & Respondentem singulariter iudicium,
Tertiùm jam publicèus disputaturum.

Hicce *virens* evadat *berus*, dominetur *hic in re!*
Sic Tibi transpositum † nomen, Amice, vovet.
Nec dubium, voto quin pondus inesse daturus
Sit Deus, & specimen spem facit hocce novam:
Spem studium pernix & mens pietate coruscans
Auget. Utrumqve pio gratulor ore decus,
Patronosqve simul faciles precor atqve benignos:
Ut *vireas* † per Eos *reqve* creeris *berus*,
Talis *berus*, qui servus HERI CHRISTIVE Minister
Sit simul, at Domini non dominetur * Ovi; * 1. Pet. 5. v. 3.
Ast humilisqve typusq; gregis fidusqve probusqve,
Talis oves, carni qui dominetur, *berus*:
Qualis *berus* Dominis terræ dominatur, & *in re*
Æternùmq;; Deo dante, *virebit berus*,
Cum voces Domini tales audiverit olim:
Intres in Domini gaudia, † serve, tui, † *Matth. 25. v. 23*
Gaudia, quæ Dominis secli carnisqve ministris
Non dantur, capiet talis, *ovabit berus*:
Immarcessibilem Christo redeunte, * coronam * 1. Pet. 5. 4
Accipiens, *in re* talis *ovabit berus*

† *Hiernerus*, Anagr. *in re berus*.

Heinricus Hiernerus:

Hic virens in re berus.

LM^g

A. D. HABICHHORST, D.

☉(O)☉



COROLLARIA RESPONDENTIA

De
ANGELIS
quorum festum his
diebus celebratur:

I.

Creationis Angelorum dies apodicticè sciri
frustra pro eo locus obijcitur I Job 38. 47. ubi
me laudarent astra matutina & clangent omnes

2. Loco I Jobi citato per astra matutina
corpora caelestia; neq; per filios Dei astra, sed An-
geli utrobique intelliguntur.

3. Angelos malos à deo creatos esse probat Epiphanius

4. Posito sed minimè concessio, quod Da-
vid vigilans & sanctos (cum dicitur: in decretis vigilans
in sermone sanctorum rogatio) non intelligantur
persona, sed angeli Spiritus, vel Deus cum an-
geli tiam de pœnis Nebucadnezaris ferentes; non tan-
quàm Deum communicato cum angelis consilia
hominem produxisse.

5. Pro adoratione angelorum, in supersti-
tu probè recepta, Pontificii Angelolatra frustra
locum I Job 33. 23. siquidem ipsi illum perperam
lis Spiritibus interpretantur; rectius verò contra-
dictum de angelis Ecclesiasticis intelligit Bolducius
Parisinus; rectissimè verò nos de angelo increato
in advocato nostro, interpretamur.

